



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica decima tertia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Dominica XIII. post Pentecosten. 125

mur excessum amoris, & sancti laboris.  
Cur nos vix non jam in Dei servitio dicimus: *Sufficit.* Communia duntaxat  
præstitimus: Majora expectat & mere-  
tur Deus. *Majori labore acquiritur  
major merces.* S. Thom. Aq.

*Instructio meritoria.*

Tepiditati nondum ad sanguinem us-  
que restitimus. Hæc sanguisuga quo-  
modo nostra non inficit merita? tolla-  
mus, & omnibus SS. exercitiis, Ecclesiæ  
Mysteriis, Sacrificiis & Rosariis, erectis  
manibûs, & libero corpore assistamus  
cum omni devotione, principalioribus  
præmittentes studiis hymnum: *Veni  
Creator Spiritus!* maledictus, qui opus  
Dei facit negligenter!

Dominica XIII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**ecem mundati sunt leprosi, & re-  
diit unus, ac gloriam Dedit Do-  
mino Deo. Quanta ingratitudo mor-  
talium! quoties & nostra jam mundata  
est anima sanguine Jesu! erimusne &  
nos de numero ingratorum?

F 3

*In-*



*Instructio meritoria.*

Absit! recolamus ergò hodie beneficia Dei præcipua , nimirum beneficium Creationis, Redemptionis, Conservacionis, & Vocationis, & Psalmum : *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrâ me sunt, Nomi*ni sancto Ejus &c. Coram Sanctissimo Venerabili, aut Crucifixo quâm devotissimè recitemus, sapius per diem versus quatuor mundi plagas genuflectentes, & desiderantes: *Ubique laudetur! ubique adoretur! ubique ametur Trinus, & Unus Deus! Sanctus! Sanctus! Sanctus!*

## II.

**Q**uis sine lepra ? qui sine peccato. Ubi autem ille? fili ! sumne ego, vel ipse ? nonne peccavimus omnes in Fratrem nostrum Christum Jesum ? Quid jam remedii, ut sanemur cum ho- diernis leprosis ? En ! dat divinus Medicus : *Ite ! ostendite vos sacerdotibus.*

*Instructio meritoria.*

Et hoc ô quâm opportunum consilium ! toties deficimus : Et vulnera tegimus ? toties infirmamur : Et ulcera occul-

occultamus? sic à lepra sanabitur nunquam. Singulis mensibūs cum R. Patre spirituali conferamus de statu animæ, & salutis. Certè immutabimur inde toti. Præparationi ad S. Confessionem impostorum semper præmittamus hymnum: *Veni S. Spiritus! reple tuorum corda fidelium &c.* Servemusque silentium usque ad peractam S. Communionem rigidissimum. Hæc cura pro leprosis.

III.

**Q**uis decem leprosos sanavit? Jesus. Quid retribuerunt? Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam. O quām citò evanescunt Dei beneficia in cordibus mortalium? & nos inter eos fuimus! fili! doleamus, &

*Instructio meritoria.*

Dignè satisfaciamus ad Nomina SSS. Trinitatis, ad *Gloria Patri &c.* ad Nomina Iesu, Mariæ, SS. P. Benedicti caput profundiùs inclinandò, in Ecclesia, in choro neminem aspiciendò, quieto corpore psallendò, omnem impetum, ac strepitum, aut errores in divino Officio committendos prævertendò, cavendò.

128 Dominica XIV. post Pentecosten.

In honorem SSS. Trinitatis coronam B.  
V.M. cum omni devotione, & reveren-  
tiâ oremus, & in fine *Te Deum Lauda-*  
*mus addamus. Te decet laus! te decet*  
*hymnus Potens Domine!*

Dominica XIV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**ic est : Nemo potest duobus servire  
Dominis : Nemo carni simul, &  
Divino Spiritui. Fili! quis horum in  
nobis prævaluit hactenus? si passio ; si  
corrupta natura : O quanta exin nobis  
indignitas! Seneca dixit : *Nulla servi-*  
*tus turpior, quam voluntaria.*

*Instructio meritoria.*

Ad libertatem filiorum Dei aspire-  
mus. Obtinebimus, si appetitui con-  
cupiscibili quoad excessivas recreations,  
& nimias hilaritates majorem vim intu-  
lerimus generosiores. Hodie medium  
horam nobis subtrahamus de tempore  
recreationis, illamque lectioni spiritua-  
lis libri applicemus. Et hoc est gaudere  
in Domino, & recuperare deperdita  
tempora.

II.

